

tennis, cum singulas binæ, aut ternæ naves circumsteterant, milites summâ in transcendere in hostium naves tendebant. Quod postquam Barbari fieri animadvertērunt, expugnatis compluribus navibus, cum ei rei nullum reperiretur auxilium, fugâ salutem petere contendebant. Ac jam conuersis in eam partem navibus, quò ventus ferebat, tanta subito malitia, ac tranquillitas extitit, ut se loco mouere non possent. Quæ quidem res ad negotium conficiendum maximè fuit oportuna. Nam singulas nostri coniectati expugnaverunt, ut per paucæ ex omni numero noctis interuentu, ad terram peruenerint, cum ab horâ ferè quartâ, usq; ad solis occasum pugnaretur, quo præliò bellum Venetorum, totiusq; oræ maritimæ coniectum est. Nam cum omnis iuuentus, omnes etiam grauioris ætatis, in quibus aliquid consilij, aut dignitatis fuit, eò conuenerant, tum nauium, quod ubique fuerat, unum in locum cœgerant: quibus amissis, reliqui ne què quò se reciperent, neq; quem ad modum optida defenderent, habebant. Itaque se, suaq; omnia Cæsari dederunt. In quos eò grauius Cæsar iudicandum statuit, quò diligentius in reliquum tempus à Barbaris ius legatorum conseruaretur. Itaque omni senatu necatò, reliquos sub coronâ uendidit. Dum hæc in Venetis geruntur, Q. Titurius Sabinus cum his copijs, quas à Cæsare acceperat, in fines Vnellorum peruenit. Iis præerat Viridonix, ac summam imperij tenebat earum omnium cinitatum, quæ defecerant. Ex quibus exercitum, magnasq; copias cœgerat. Atq; his paucis diebus Auleri,

Fuga nauium Gallicarum.

XVI.

Dedunt se Cæsari.

XVII. Cap.

Q. Titurius Sabinus apud Vnellos gesta. Viridonix.